congruit · aut uitis aut ignis; Si in uite non est in igne erit · ut ergo in igne non sit in uite sit; Si manseritis inquit in me et uerba mea in uobis manserint · quodcumque uolueritis petetis et fiet uobis; HAEC SENTENTIA QUERE SUPERIUS IN EBDOMADA · I · POST ASCENSIONEM DOMINI · FER · IIII ·

IN NATALE APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM

In illo tempore · Dixit ihesus discipulis suis; Non turbetur cor uestrum; Creditis in deum et in me credite; In domo patris mei mansiones multe sunt; ET RELIQUA ·

CONUERTENDUS est nobis fratres ad dominum maior intentio · ut uerba euangelii que modo in nostris auribus sonuerunt · etiam mente capere utcumque possimus; Ait enim dominus ihesus christus; Non turbetur cor uestrum; Credite in deum et in me credite; Ne mortem tamquam homines timerent · et ideo turbarentur · Consolatur eos etiam deum se esse contestans; Credite inquit in deum et in me credite; Consequens est ut si in deum creditis · et in me credere debeatis; Quod non esset consequens si christus non esset deus; Credite in deum et in me credite; Credite cui natura est non rapina · esse equalem deo; Sed quid hoc quod sequitur · in domo patris mei mansiones multe sunt · nisi quia sibi metuebant · unde audire debuerunt; Non turbetur cor uestrum · quis non metueret cum petro dictum esset fidentiori atque promptiori; Non cantabit gallus donec ter me neges; Tamquam ergo essent ab illo perituri · merito turbabantur; Sed cum audiunt in domo patris mei mansiones multe sunt · Si quo minus dixissem uobis · quia uado parare uobis locum; A perturbatione recreantur; Certi ac fidentes etiam post pericula temptationum se apud deum cum christo esse mansuros; Quia et si alius est alio fortior · alius alio sapientior · alius alio iustior · alius alio sanctior · in domo patris mei multe sunt mansiones · nullus eorum alienabitur ab illa domo · ubi mansionem pro suo unusquisque accepturus est merito; Denarius quidem ille equalis est eis omnibus qui operati sunt in uinea · ubi et donari omnibus quem pater familias non ideo discernens qui minus et qui amplius laborauerunt; Quo utique denario uita significatur eterna · ubi amplius alio nemo uiuit; Quoniam uiuendi non est distantia · nec in eternitate mensura · Sed multe mansiones · diuersas meritorum in una uita eterna significant dignitates; Alia enim gloria solis · alia lune · alia gloria stellarum; Stella enim ab stella differt in gloria; Ita et resurrectio mortuorum tamquam stelle · sancti diuersas mansiones diuerse claritatis tamquam in celo sortiuntur in regno; Sed propter unum denarium · nullus separatur a regno; Atque ita deus erit omnia in omnibus; Sicut quoniam deus caritas est · per caritatem facit · ut quod habent singuli commu

aus: Inc II 7

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.61, 4v – Collection of homilies (https://fragmentarium.ms/view/page/F-mhig/5104/48714)